

Dissertatio theologico-philosophica novam continens hypothesin qua animae et corporis commercium ex hominis ad similitudinem divinam creatione explicatur

Autor(en): **[s.n.]**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 14

PDF erstellt am: **16.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394645>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

DISSERTATIO

Theologico-Philosophica

Novam continens hypothesin

qua

ANIMÆ ET CORPORIS COMMERCIIUM

ex hominis ad similitudinem divinam

Creatione explicatur.

§. I.

MAgnum haud dubie, imo maximum homini a munificentissimo Creatore concessum beneficium hoc est, quod ipsi eximiam ac rationalem illam Mentem indidit, qua, saltem ex parte, seipsum & quæ extra se sunt nosse, qua immensa Universi spatia emetiri, in rerum causas inquirere, nullis vel temporum vel locorum limitibus circumscribi, qua præterita revocare, præsentia intueri, futura prospicere, qua denique, quod præcipuum est, ad summi ac infiniti Creatoris notitiam assurgere, ac in summi Numinis contemplatione beatus fieri & sese perficere potest.

venerabile soli

Sortiti ingenium, divinorumque capaces,

Atque exercendis capiendisque artibus apti,

Sensum e cœlesti demissum traximus arce,

Cujus egent prona & terram spectantia.

inquit JUV. Satyr. XV.

N 4

Ita

Ita nimirum Mentis nostræ vis comparata est; ut ea sui sibi, sive intelligat, sive velit, sive judicet, sive ratiocinetur, immediate conscia sit: ut non tantum in seipsam descendere, sed & vastos terræ marisque tractus percurrere, rotundum permeare polum, aëriasque tentare domos possit: Res longissime distitas cognoscit, de rerum causis usibusque, de earum natura ac viribus ratiocinari, varia, quæ in iis occurrunt conferre, imo ad ea penetrare potest, quæ corporis sui oculis abscondita & ab omnibus externis sensibus plane remota sunt. Non ea tantum, quæ ad usum hominum pertinent perspicere; sed & ipsam quoque naturam juvare potest. Potest terminos suos quasi egredi & intelligendo omnia fieri. Totam rerum Universitatem, omnes immensi hujus mundi opes angusto suo complexu comprehendere quodammodo potest. Habet in diviti sua penu eminentissimam etiam pulcherrimamque ideam, Entis nimirum omnium quæ cogitari possunt optimi simul atque maximi; cujus imago quædam ac representatio sese in mente humana sistit.

§. II.

Cum tanta Mentis humanæ sit vis atque facultas, causas mihi memorari velim, cur in plurimis iis, quæ perspectu cognituque facillima videntur, tanta ejus sit ignorantia? cur in iis plurimis, quæ ipsi ante oculos quasi ac præsentia sunt, tantopere cœcutiat? Eximio illius intellectui maxime ista abscondita sunt, quæ ipsi proxima, quæ singulis momentis agit atque tractat, quæ ipsam quasi immediate tangunt, quæ quotidiana nosse debe-

ret experientia , quæ ipsamet operatur & efficit , quibus denique fere solis occupata est.

Non ego aliam inscitiae hujus invenire potui rationem , quam quod benignissimum Numen nonnullis creaturis tales ac tantas indidit vires , quæ cum aliarum creaturarum viribus agendique modis comparari minime possunt , sed eas superant , tantumque ab iis distant , quantum ipsa rerum natura sive essentia distincta est. Novimus nimirum , Creatorem pro infinita sua Potentia creaturæ cuilibet tantum tribuere posse virium quantum essentia earumque natura permittit ; sed & hoc novimus , quod idem omnipotens omnium rerum Opifex essentias naturasque rerum , ratione perfectionis earum gradus , tales efficere possit quales velit , quod eas vel magis vel minus perfectas reddere , quod iis adeo vel plus vel minus virium , pro infinita sua sapientia , tribuere queat. At quis de omnium illarum virium gradibus , quis de omnium istarum virium operandi modis judicare , quis mutuam illarum ad se invicem proportionem indicare , quis omnem illarum rationem exponere poterit ? Hæc infinita sunt , hæc captum humani intellectus superant. Novimus alias corporum esse vires , alias vero spirituum ; alium corporum esse agendi modum , alium vero spirituum ; sed quis comparisonem inter vires illas instituere , quis omnem illarum modum ac rationem explicare velit ? Nemini non constat corpori cuilibet varias virium inditas esse species , sed quis tantum scientiæ suæ tribuere , quis tantum de se promittere auderet , ut omnes illas rerum materialium vires , omnia earum genera , omnes earum effectus , omnem

N 5

illarum

illarum rationem ac proportionem distincte evolvere ac exponere tentet? Quis nescit innumerabilem corporum ac materię esse varietatem? Quem fugit unicuique ex innumeris illis corporibus propriam suam esse naturam innumeris viribus quasi mixtam, quę tot & tantos producere possunt effectus, ut omnis mentis humanę perspicacitas, omnis ætas, omnes per tot sæcula continuatę ac iteratę experientię, ad omnes rerum materialium ac visibilium vires detegendas & ad omnem earum rationem indicandam minime sufficient. Multa de rei materialis alicujus viribus nobis nota esse possunt, nec subinde dubitamus, nobis omnia de iis nota esse, cum tamen ea quę maxime mirabilia, quę maxime stupenda in re illa sunt, nos adhuc lateant. Ut ex innumeris unicum tantum afferam exemplum, omni retro sæculo plurimę nitri vires minime fuere ignotę, nota nimirum fuit ejus fœcunditas, quę omnibus plantis suum dat incrementum easque frugiferas facit; non ignotum veteribus erat, nitrum esse, quod omnibus fere cibus gratum illum gustui nostro saporem communicat; nec forsan eos latebat ejus in remediis ad sedandum nimirum illum sanguinis nostri fervorem ac motum maximum quoque usum esse. Stupendum tamen effectum illum, qui toti orbi horrorem incutit, omnesque in maximam admirationem rapit, quem pulvis ille nitratus edit, neutiquam compertum habebant, donec seris demum temporibus casus quidam hucusque inauditas ac incredibiles vires ejus docuit. Infinita in historia naturali extarent exempla, quibus asserta nostra comprobare possemus; sed nemo est qui hæc quę dicimus negare aut velit aut possit. Nec quem

quemquam existere scimus, qui in dubium vocare queat, innumera adhuc esse, quæ nobis respectu virium naturalium hucusque abscondita sunt, quæ nobis incredibilia, si non impossibilia, viderentur, donec experientia nos doceat quanta nostra in rebus physicis sit inscitia, quam sæpe iudicium nostrum nos in iis fefellerit & quoties alii potius quam veræ causæ plurimos effectus tribuerimus.

Qualis respectu virium rerum corporalium ignorantia nostra est, talis etiam respectu Entium spiritualium est. Novimus multa spirituum esse genera, magnam eorum varietatem, multifarios perfectionis eorum gradus; scimus Creatorem optimum varias iis indidisse vires, varias facultates, quibus pro varia earum mensura etiam varie intra & extra se agere possunt; novimus sapientissimum eundem rerum omnium Opificem Spirituum horum naturam vel magis vel minus perfectam efficere, iisque etiam vel plus vel minus virium concedere potuisse, prout eorum finis vel maiores vel minores requirebat effectus, prout infinitæ illi varietati, quæ in mundo spirituali quoque obtinere debebat, convenientissimum erat: Et hoc insuper scimus, Entibus illis spiritualibus specialem quandam cum mundo visibili ac materiali, ceu ipsorum habitaculo, esse relationem, propter quam non possit non esse commercium aliquod inter visibilia ac invisibilia Universi hujus Entia, quam relationem necessario reciprocas variarum illarum Entium in se invicem actiones secum ferre efficereque oportet. Sed quis omnium Entium illorum spiritualium vires explicare? Quis varios virium istarum gradus? Quis infinitam earum va-
rieta-

rietatem? Quis omnes illarum modos exponere audeat? Quis eas cum corporum viribus comparare? Quis omnem earum rationem, a sola divina institutione pendentem indicare poterit? Quantum nos de corporum viribus latet, tantum nobis etiam de viribus spirituum ignotum est.

Licet itaque quædam, paucissima tamen, sint, quæ de viribus, earumque agendi modis, Entium tam corporalium quam spiritualium, comperta habemus, inde tamen ad rationem reliquarum virium eorundem Entium, earumque agendi modum, concludere minime licet, cum infinita nos de iis adhuc lateant; unde ea hic repetimus quæ ab initio fere hujus sectionis monuimus, incitiæ nostræ, in iis etiam rebus quas mens nostra quotidie agit & efficit non aliam esse rationem, quam quod sapientissimus omnium rerum Opifex, a cujus prima institutione omnis rerum natura pendet, creaturis quibusdam tales tantasque indiderit vires, quæ ex aliarum creaturarum viribus agendique modis explicari minime possint, sed tantum ab iis distent, quantum ipsa earum natura a se invicem distincta est; & cum infinita virium tam corporis quam Spiritus varietas sit, illa ab intellectus nostri limitibus comprehendendi minime potest.

§. III.

Quam ignari in explicandis aliorum Entium viribus sumus, tam inscii etiam in exponendis omnibus variisque propriæ Mentis viribus deprehendimur. Quam incerti ac dubii sumus, si id agitur, ut distincte explicemus, qui fiat ut imperio
Mentis

Mentis ita subsit nostrum corpus , ut ad solum
 ejus nutum , dicto citius , variis modis movea-
 tur , & quomodo corpus vicissim in mente varias
 excitare possit ideas , variasque cogitationum ac
 volitionum efficere formas ? Quotusquisque enim
 est , qui novit quomodo ad solum voluntatis no-
 stræ jussu , varia corporis nostri membra arti-
 ficiose sese moveant , ut nobis volentibus & pes ,
 & manus , & cætera membra officium suum fa-
 ciant & quam promptissime obsequantur ? Sunt qui
 longo tandem multoque opere secretas sanguinis
 spirituumque animalium vias , sunt qui miram to-
 tius corporis structuram atque texturam , sunt
 qui varios illos nutrimenti ac succorum ductus di-
 dicerint , hoc tamen ad corpus pro lubitu moven-
 dum ipsos place nihil juvat ; nec agilia nec
 promptiora propterea corporis sui membra ad vo-
 luntatis nutum reddere possunt. Quoties enim
 Corporis partes male cohærent obsequiumque de-
 trectant , eas voluntas nulla sua vi , nullo suo im-
 perio in integrum restituere ac in ordinem redige-
 re potest.

Omnes vero ii , qui diviniore quodam motu
 animum ad sapientiæ studium appellunt , eo fere
 omnes suas cogitationes dirigunt , omnem ope-
 ram suam conferunt , ut rerum cognoscant caus-
 sas , omniumque , quæ in hoc Universo contin-
 gunt , rationes indicare possint ; inest quippe na-
 tura hominis menti philosophia quædam , unde
 si veras rerum rationes ac causas ignorant , vari-
 as excogitant Hypotheses , ex quibus ipsi effectus
 aliquis explicabilis intelligibilisque videtur ; quæ
 hypotheses , licet subinde falsæ sint , manifestum
 tamen

tamen nobis præbent indicium, rem aliquam vel effectum variis modis possibilem esse, ut si summus rerum Opifex alium rerum ordinem, alium nexum instituere voluisset, id facere etiam potuisset; quodcunque enim possibile est, Imperio potentiaque ejus etiam subjacet; siquidem omnia, omnis rerum modus ac ordo, omnisque Universi nexus, omnes rerum vires indeque fluens naturalis effectus ab eo solo, qui hunc potius quam alium condidit mundum, in solidum pendeat.

Cum alius etiam Mundus, alius rerum ordo ac nexus, alius igitur creaturarum operandi modus, aliaque vires motrices fuissent possibile, variaque inde nascantur hypotheses, quarum de unoquoque Phænomeno vel plures vel pauciores proferri solent, quæritur: An aliqua ex variis hypothesis istis, vel quænam, ipsius rei, de qua agitur, naturæ ac essentiæ, quænam reliquo rerum nexui, Creatorisque, ceu primi omnium rerum Auctoris, Voluntati, reliquisque ejus Attributis agendique modis, maxime conveniat? Id quod etiam in Hypothesium variarum de Mentis Corporisque humani unione sive reciprocis actionibus dijudicatione observandum est.

Variæ istæ, de Mentis Corporisque nostri commercio, Hypotheses, non tam incitiæ vel dubitationis nostræ argumentum sunt, quam documentum unam eandemque rem, unum eundemque effectum variis modis possibilem esse; nisi enim hypothesis aliqua manifestam involvat contradictionem, saltem possibilitatis rei alicujus illa indicium

dicium est. Cum vero etiam respectu commercii animæ corporisque nostri non hoc solum quærat, quid sit possibile, sed potius quid reapse existat? Inter plurimas hypotheses illa valebit, quæ rei, de qua agitur, naturæ est convenientissima; quæ essentiæ rei, adeoque huc menti nostræ, quam maxime congrua; quæ Exemplari illi ad cuius imaginem mens hominis condita maxime respondeat, ejusque similitudinem referat; quæ divinam voluntatem ac sapientiam maxime decens; quæ denique reliquorum Entium rationalium gestis atque factis operandique modis conformis sit: Hæc haud dubie reliquis etiam præferenda erit.

§. IV.

Sunt qui demonstrant, præter eas hypotheses, quæ nunc de modo, quo anima cum corpore est conjuncta, notæ sunt, nullam aliam esse possibilem. Ego vero non facile definiendum arbitror, quot modis aliquid possibile esse possit; adeoque nec novis hypothesibus facile limites ponendos: cum quotidiana nos convincat experientia, sæpissime nobis quidquam impossibile visum, cujus possibilitatem ipsa statim testabatur experientia. Semper aliquid audendum, licet viri maximo intellectus acumine pollentes, ingenium suum in excogitandis variis de re aliqua hypothesibus jam-jam exercuerint. Neminem itaque sinistre mihi hoc interpretaturum esse arbitror, si & hic, ubi de animæ corporisque humani commercio agitur, tentamen faciam, aliamque præter hæctenus ventilatas, proponam Hypothesin. Minime tamen viris illis ingenii acumine me longe superioribus,
 qui

qui unam vel alteram ex reliquis hypothefibus suam fecerunt, quidquam derogare vellem; sed memor dicti illius SENECAE aliquid etiam hac in re audendum putavi; ita nimirum Philosophus hic suam de novarum doctrinarum inventione sententiam exponit: *Quid ergo? Non ibo per priorum vestigia? Ego vero utar via veteri: Sed si propiorem invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas; nondum est occupata; multum ex illis, etiam futuris, relictum est.* Epist. XXXIII.

§. V.

Per Animæ Corporisque nostri Commercio arctissimam illam ad se invicem relationem intelligo, vi cujus usus ac motus membrorum corporis nostri, ejusque actiones externæ, voluntatis nostræ imperio subest & ab eo pendet; & vicissim etiam corpus cum suis organis cogitationes ac volitiones in mente nostra excitare potest. Qua autem ratione id fieri possit disquiritur.

§. VI.

Hypothesin meam hic primum summatim exhibendam putavi, antequam eam pluribus explicem atque confirmem; ut nimirum Lector statim ab initio propriis oculis videre possit, quænam via ipsi ingredienda si me sequi velit.

Hæc scilicet mihi stat sententia: Similitudinem illam divinam, ad quam mens hominis primitus creata fuit, non ad solas morales illius qualitates, ad voluntatis ejus veracitatem, justitiam, sanctitatemque, sed & ad attributa ejus physica, physicumque operandi modum sese extendisse, ut &
hæc

hæc quandam divinitatis similitudinem retulerint; & quoad reliquias quasdam eam adhuc referant. Uti nimirum Deus ens sanctissimum, veracissimum ac justissimum est, ita etiam Menti hominis ceu creaturæ rationali morales istiusmodi qualitates a benignissimo Creatore inditæ fuere; ubi vero attributa, ac qualitates præcipuæ, simile quid cum eo qui Exemplar est habent, ibi etiam subjectum, illius imaginem quodammodo referre debet; cum itaque Deus sit Ens intelligens ac volens, summa Sapiaentia ac Libertate præditum, ideo homini, qui non ex moralibus tantum qualitatibus consistit, etiam Mentem rationali intellectu ac libera voluntate præditam concessit. Ubi autem Mentis facultates cum archetypo suo similitudinem quandam habent, ibi etiam earum operandi modus illi, aliquo saltem modo, haud absimilis esse debet; unde Deus intellectui nostro vim repræsentativam non modo corporis nostri, sed per illud etiam hujus Universi pro situ ejus indidit: Voluntati autem facultatem libere eligendi ac operandi. Quoniam vero Deus per solam Voluntatis suæ vim, & quidem etiam in distans, uti suo loco demonstrabitur, operatur; hinc etiam hominis, aliarumque creaturarum rationalium, ad similitudinem sui efformatarum, Voluntati talem indidit vim, ut Mens sola sua Voluntate ejusque vi ad similitudinem operationis divinæ in ea corpora agere possit, ad quæ imperium ejus sese extendit. Ex quibus suo loco hoc deducemus consectarium: Quo propius Creatura aliqua rationalis ad similitudinem Creatoris sui accedit, eo majori vi intellectus ac voluntas ejus prædita est, eoque majora etiam opera, & quidem solo voluntatis nutu ac impe-

rio edere potest. Ex quibus etiam major membrorum corporis, apud eos qui imagine divina pleno sensu gaudent, obedientia; Adami in reliquas Creaturas non solum dominium, sed & imperium: Angelorum, hominibus longe perfectiorum, operationes: Viresque hominum patranda miracula explicari poterunt; ita tamen vires istae creaturarum semper limitatae sunt, ut certos terminos transgredi nequeant, nec ea voluntatis suae viribus efficere possint, quae Deus sibi soli reservavit.

§. VII.

Haec, quae nunc summatim tantum exposuimus, ut distincte explicare & ad commercium Animae cum Corpore applicare possimus, sequentem Disquisitionis hujus tenebimus modum ac ordinem.

I. Hypotheses illas, quae hactenus hac de re fuere vulgatissimae, breviter tantum cum suis difficultatibus, quae ipsis fuere oppositae, exponemus, ut nobis deinde ostensu facile sit, nostram Hypothesin difficultatibus hisce minime premi.

II. Quenam attributa ac quas proprietates Imago divina, ad quam creaturae rationales creatae fuere, includat, distinctius explicabimus.

III. Cum hic imprimis de facultatibus Mentis humanae physicis ad Dei similitudinem factis, & strictissime de voluntatis nostrae operandi modo agatur, voluntatis divinae operandi rationem explicabimus; quod autem fieri nequit, nisi prius etiam modum divinae praesentiae exposuerimus.

IV. His.

IV. Hisce explicatis deinceps facile patebit voluntatis nostræ operandi ratio; ex qua non solum Commercium ejus cum Corpore, sed & primi hominis imperium in Creaturas ipsi subditas; Angelorum Ministerium ac opera, rationem nostram superantia; viresque patranda miracula Creaturis subinde concessæ, explicari poterunt.

V. Ea quæ hactenus dicta in summam redigemus, & ad propositum nostrum conclusionem inferemus.

VI. Ostendemus denique Hypothesin nostram iis non premi difficultatibus, quibus reliquæ premuntur, atque ita, saltem in hoc, præ illis aliqua gaudere prærogativa.

§. VIII.

Primum itaque quod nobis hic breviter tractandum incumbit hoc est: Ut Hypotheses illas, quæ hactenus de Animæ & Corporis nostri Commercio & reciproco operandi modo fuere vulgatissimæ, breviter tantum cum suis difficultatibus, quæ ipsis fuere oppositæ, exponamus, ut nobis deinde suo loco ostensu facilius sit, nostram Hypothesin difficultatibus hisce minime premi.

Nonnisi tres hac in re Hypotheses locum habere, nec quartam præter has in medium afferri posse a priori illustr. BULFINGERUS demonstravit in *Commentatione hypothetica de harmonia Animi & Corporis, maxime præstabilita*, pag. 10. Et huc inclinare etiam videtur clariss. HOLLMANNUS in *Dissert. I. de harmonia inter Animam & Corpus præstabilita* pag. 6. ubi ita hac de re disserit: *Diversissimæ duæ substantiæ, si in operationibus suis conspirare*

secum debent, aut altera alteram dirigat moveatque, aut communis inter utramque mediator intercedat, aut utraque suum agat, in perpetua tamen cum altera consensione, necesse est. Et BILLEBIUS in Dissert. An Harmonia præstabilita sit miraculum? pag. 8. Faciamus, inquit, & concipiamus duo horologia, quæ consonare debeant. Res expedita reddi potest triplici ratione: Una per influxum, si fecerimus, ut alterum agat in alterum, idque vel mutuo, vel ex unica tantum parte. Altera per causas occasionales, si opificem operi comitem fecerimus, qui dissonantia ceteroquin, vel cessatura a motu horologia singulis momentis dirigat. Tertia, si sapienter satis perfecimus eas machinas artis, ut singulæ suas leges exacte sequantur, easdemque sibi ab initio respondere curaverimus. Ita enim, cum utræque easdem vel similes exsequantur leges, semel harmonice factæ nunquam dissonabunt. Idem etiam clariss. BAUMEISTERUS in metaphysica sua §. 720. asserit: In tres autem, ait, ut dixi, abeunt sententias eruditi, nec plures, quam tres, modos dari, Commercio inter Animam & Corpus explicandi, & a non paucis asseritur, & res ipsa docet. pag. 472. Quas tres sententias pag. præced. hisce expresserat verbis: Alii existimant, Animam ita agere in Corpus, & Corpus ita agere in Animam, ut quando ab objecto externo mutatio in organo sensorio fiat, tum motus per nervos in cerebrum usque propagetur, & ita mediante fluidi nervei motu, animæ imprimatur idea, & quando Anima velit, Corpus ejusdemque membra moveri, tum Anima revera & effective alium aliamque nervum impellat, atque ita efficiat, ut motus voluntarius hic, nec alius, sequatur. Alii, Deo quasi ex machina advocato, opinantur, facta in organis sensoriis mutatione, Deum immediate in Anima convenientem producere mutationem.

tationem , & coorta in Anima voluntate , motum convenientem Corpori a Deo imprimi. Alii denique , in aliam , eamque novam , sententiam ingressi , modum , quo anima cum Corpore est conjuncta , ita exponunt. 1.) Putant , facta in organis sensoriis mutatione , sensationes in Anima produci per vim animæ intrinsecam , & quidem ex sensationibus præcedentibus. 2.) Credunt motus Corporis voluntarios non ab anima , neque immediate a Deo produci , sed resultare ex structura & vi motrici Corporis & motibus præcedentibus. 3.) Quod vero tam amicus , tamque arctus Corporis motuum , & Animæ representationum consensus adsit , id a quadam Dei præcedenti præordinatione & præstabilitone derivant.

Hæ sunt tres illæ Hypotheses de Corporis Animæque Commercio , præter quas nullas alias posibles esse statuunt viri eruditi. Ego vero respectu numeri Hypothesium , uti jam supra monui , liberalior essem , Regnumque illarum non tam arctis nec certis etiam circumscriberem limitibus , tum propter stupendam illam possibilitatis rerum varietatem , quot enim modis res aliqua possibilis est , tot etiam de ea dari possunt Hypotheses : Tum propter quotidianam Experientiam ; qua multa vera esse deprehendimus , quorum ne possibilitatem antea agnovimus. Quinque nobis sunt sensus externi , si optimo Creatori nostro tres tantum nobis concedere placuisset , quartum vel quintum forsan nullo Mentis acumine excogitare potuissemus , & quis asserere ausit , Deum nobis nec sextum nec septimum adhuc addere atque largiri potuisse ; tum denique & hoc mihi videtur , quod omnes illæ demonstrationes , quibus nonnisi trium Hypothesium possibilitas asseritur , vires tantum

materiales tacite supponant, neque Spirituum ac
Materiae vires operandique modos, toto genere
diversos, satis distinguant.

§. IX.

*Prima ergo Hypothesis est illa Aristotelis Scholasti-
corumque, quae Systema Influxus Physici commu-
niter vocatur, dum Animam physice in Corpus
influeret, illudque effective impellere atque move-
re putabant: Et vicissim Corpus in Animam influe-
re dicunt, cum ei reali actu imprimat ideam at-
que vi sua physica in illam operetur.*

Vir acutissimus RUARDUS ANDALA, qui
operationes Animae & Corporis physicas & reales
in se invicem clarissime explicari posse arbitratur,
in Dissert. de unione Mentis & Corporis physica §. XI.
de systemate influxus physici hoc modo ratiocina-
tur: *Statuo, inquit, nos clarissimam & distinctissi-
mam hujus operationis & unionis posse habere ideam,
si modo, quod omnino facere oportet, ad Deum, caus-
sam ejus primam & liberam ascendamus, & ab ejus
beneplacito admirandum hunc effectum derivemus. Nos
possumus huic vel illi motui, e. gr. campanae, sic &
hederae suspensae, literis Scriptis, verbis quibuscumque
pronunciatis, aliisque signis, varias ideas alligare, ita,
ut per visum, vel auditum in Mente excitentur variae
ideae, perceptiones, & sensationes: Annon hic clare &
facile intelligimus, Deum Creatorem Mentis & Corpo-
ris potuisse instituire & ordinare, ut per varios in Cor-
pore motus variae in mente excitentur ideae, & percepti-
ones; & vicissim, ut per varias mentis volitiones, va-
rii in Corpore excitentur & producantur motus? Hinc
& pro varia alterutrius partis dispositione altera pars va-
riis*

viis modis affici potest. Hoc autem a Deo ita ordinatum & effectum esse, a posteriori continua, certissima & clarissima experientia docet. Testes irrefragabiles omnique exceptione majores reciproci hujus Commercii, operationis Mentis in Corpus, & Corporis in Mentem, nec non communionis status, sunt sensus tum externi, tum interni; ut & omnes & singulae & continuæ actiones Mentis in Corpus, de quibus modo fuit actum. Si quis vero a proprietatibus Mentis ad proprietates Corporis progredi velit, aut ex natura diversissimarum harum substantiarum deducere motum in Corpore, & perceptiones in Mente, aut hos effectus ut necessario connexos spectare; nã is frustra erit, nihil intelliget, perversissime philosophabitur, nullamque hujus rei ideam habere poterit. Si vero ad Deum Creatorem adscendamus, eumque vere agnoscamus, nihil hic erit obscuri, hunc effectum clarissime intelligemus, & quidem per causam ejus primam; quæ perfectissima demum est scientia.

§. X.

Difficultates quæ contra systema hoc moventur in primis huc redeunt:

1.) *Influxus* nonnisi in rebus materialibus locum habere potest, & significat eum agendi modum, quo causa physica per motum attingere solet effectum suum; vel, ut alii definiunt, influxus physicus est excitatio motus per attactum ob convenientiam motus & mobilis facta. Cum itaque in influxu physico tam movens quam motum materiale esse debeat, attactus vero & motus naturæ spirituali, qualis Anima nostra est, neutiquam competat; sequitur influxum hunc Mentis nostræ, ceu Entis simplicis ac immaterialis, naturæ repugnare.

2.) Illustr. BULFINGERUS Dilucidat. §. 327.
 ita argumentatur : In quocunque Entium genere effectus non semper tantus est , quantus serio intenditur , ibi datur proportio inter vires ad effectum applicatas , & quantitatem ipsius effectus. Ille igitur effectus non dependet a viribus cum effectu , quoad proportionem , incomparabilibus. Atqui vires Animi & Corporis motus sunt , quoad proportionem incomparabiles. Ergo effectus , quales in Corpore movendo experimur , non procedunt a viribus Animæ. Ergo Anima non movet effective Corpus suum.

§. XI.

Altera, quæ *Causarum occasionalium* dicitur , Hypothesis Cartesiana hæc est : Experientia testis est , ad certos Corporis motus ac mutationes , certas in Anima produci ideas ac sensationes ; ad certas vicissim Animæ cogitationes ac volitiones certos sequi in Corpore motus. Corporis autem naturæ adversum est , ut in substantia a se plane diversa immateriali ac spiritali ideas producere adeoque in illam agere possit ; uti vicissim etiam Animæ naturæ repugnat , ut in subjectum extra se positum agere illudque movere queat : Sequitur , Deum , a quo ceu Creatore ac Conservatore suo utraque substantia pendet , ipsum tam Corporis motus quam Animæ sensationes immediate producere. Ita tamen Deus agit , ut hoc ex universali quodam decreto & cum generali Uniformitate fiat , ut scilicet ad hunc motum in corpore ortum conformem etiam in Mente sensationem excitet , & ad cogitationem vel volitionem Mentis ipsi consentientem producat in Corpore motum.

Ita

Ita Deus solus & immediate agit , sed *ex occasione* creaturæ : Ex occasione appetitus ac volitionis Animæ immediata sua vi efficit Motum ; & vicissim ex occasione motus in organo sensorio etiam immediata sua operatione producit in Mente sensationem.

§. XII.

Duo præcipue sunt , quæ contra systema hoc afferri solent argumenta. *Alterum* a multiplicatione miraculorum , *alterum* inde desumptum est , quod Deus hac ratione Auctor peccati fiat.

1.) Hypothesi hac , inquiunt moderni Philosophi , naturam in perpetua miracula transfundi. Miraculum enim est id quod vires naturæ superat & unice ac immediate a divina operatione pendet ; in systemate autem Cartesiano omnes hominis actiones , quatenus a Corpore & Anima simul peraguntur , a sola ac immediata Dei operatione pendent. Recte quidem , asserunt Philosophi isti , ad Deum omnia , tanquam ad originem reducuntur : Sed mediate , sed generaliter , sed per vires a Deo rebus inditas ; non immediate , non per saltum , non per sola unice miracula. Vide BULFINGERI Dilucid. §. 35.

2.) Hypothesis ista Cartesii , inquiunt Theologi , Deum saltem ex parte , peccati Auctorem facit. Quoties enim in Anima peccaminosæ oriuntur cogitationes , Deus in Corpore etiam conformes producit actiones. Et quoties vicissim inordinati in Corpore oriuntur motus , Deus in Anima etiam tales excitat appetitus ac sensationes quæ legi suæ minime consentiunt.

§. XIII.

Tertia Hypothesis celebratissima illa LEIBNITII de *harmonia præstabilita* est, quæ tribus absolvitur partibus: Cum nimirum nec Anima in Corpus, nec vicissim Corpus in Animam physice influere possit, nec etiam sapienti rerum ordini congruat, ut Deus tam motus Corporis Animæ cogitationibus consentientes, quam sensationes Mentis motibus Corporis conformes immediata operatione per miraculum continuum producat, statuendum fuit: Tam Corpus quam Animam independentem a se invicem, propria vi ita agere ut nihilominus omnes eorum actiones sint harmonicae.

1. Anima itaque omnes suas perceptiones ac sensationes, propria vi, sibi a Creatore concessa, ex se ipsa independentem a Corpore suo organico ita producit, ut nulla ex sensationibus suis, rationem proximam suam, in organis Corporis sensoriiis eorumque operationibus habeat; sed principium omnium suarum actionum nonnisi internum est; omnes cogitationes & sensationes ex ipsa Anima quasi evolvuntur, ita ut sequentes sensationes ex antecedentibus semper orientur.

2. Corpus principium omnium actionum suarum in seipso habet, omnes ejus motus ac mutationes independentem ab operationibus Animæ, ex vi propriæ structuræ sequuntur & quidem continua serie ex motibus antecedentibus.

3. Deus, pro summa sua Sapientia ac Scientia maximam inter unumquodque Corpus ac Animam exactissimamque præstituit harmoniam, sive tales
inter

inter se junxit substantias , in quibus summa omnium mutationum ac operationum esset consensus , sine tamen mutuo influxu , sed a sola Dei præstabilitone ac ordinatione pendens.

§. XIV.

Difficultates contra hoc systema agitæ in primis sunt sequentes.

1.) Quod plurimi Corporis motus non possint mechanicis tantum artibus in Corpore fieri , & quod ipsa etiam rationalis loquela ac scriptio ex solo Corporis mechanismo sequeretur.

2.) Quod , si Anima sit automatam , in quo omnes actiones necessario ex se invicem sequuntur , & contra etiam Corpus nonnisi machina ab Animæ operationibus independens , utriusque actiones minime liberæ dici queant. *Non Animæ operationes* , quia necessario nexu ex se invicem sequuntur , & cum motibus Corporis præordinatis consentire debent ; *nec etiam Corporis actiones* dici possunt liberæ , quia ex puris principiis mechanicis sequuntur adeoque necessariae sunt. Ex quibus fluat , quod nec Anima nec Corpus propter malas actiones puniri queat.

3.) In Hypothesi ista id maxime male habuit acutissimos etiam ac solidissimos Theologos , quod hac ratione Deum ipsummet primum omnis mali in mundo auctorem fieri putarunt. Omnes enim , inquit , tam Animæ quam Corporis actiones ex ipsa ejus natura ac essentia primitus ab ipso Deo constituta necessario fluunt , adeoque omnia , quæcunque vi vel Animæ vel Corporis fiunt rationem

tionem sufficientem in ipsa ejus essentia habent, neque aliter evenire possunt; unde is ipse qui primus naturæ istius Conditor ac Opifex est, simul auctor omnium eorum, quæ vi naturæ hujus non possunt non fieri, dicendus est. Afferit nimirum ingeniosissimus LEIBNITIUS: *Qu'il y a dans chaque substance des traces de tout ce qui lui est arrivé, & de tout ce qui lui arrivera; l'état présent de chaque substance, étant une suite naturelle de son état précédant.* Et alibi: *L'ame humaine est une espece d'Automate spirituel. Tout est certain & déterminé par avance dans l'homme comme partout ailleurs.* Theod. Tom. I. pag. 177. *Après tout, il paroît que l'homme est forcé à faire le bien & le mal qu'il fait, tout est très parfaitement dans l'ordre des choses; puisque rien ne sauroit arriver sans qu'il y ait une cause disposée comme il faut à produire l'effet; ce qui n'a que moins lieu dans les actions volontaires que dans toutes les autres.* Theod. p. 77. Omnia itaque ab origine pendent. Prout nimirum Deus, ex Leibnitiano systemate, inquiunt Theologi nostri, unamquamque Animam vel Corpus primitus efformavit, prout unicuique certam essentiam, vires ac naturam dedit, sic omnes inde sequentes actiones, inevitabili nexu, comparatæ erunt; & malum vi originalis essentiæ Animæ ac Corporis necessario evenire debuit; sequi itaque, ajunt, Deum naturæ auctorem etiam omnium eorum auctorem habendum, quæ vi naturæ hujus necessario fieri oportet; unde & omnes preces, institutiones, exhortationes, omniaque reliqua salutis consequendæ media plane frustranea futura sint.

§. XV.

Expositis nunc reliquis systematibus Regnum Hypothesium latius extendere vellem, ad alteram disqui-

disquisitionis meae partem & ad propriae Hypotheseos explicationem propius accedo. Ad commercium Corporis Animæque duo requiruntur: Alterum ut Anima omnes sibi mutationes repræsentare queat, quæ in Corpore organico fiunt; ad quod opus non est, ut Corpus vel immediate Animam tangat vel physice in eam influat, vel ut Deus ad Corporis mutationes immediata sua vi certas in hominis Mente sensationes per miraculum producat, nec ut Anima omnes illas sensationes cum Corporis sui mutationibus conformes, independenter ab eo quod in Corpore fit, ex proprio suo sinu quasi evolvat & automati spiritualis ad instar agat: Sed ad id sufficit, ut Animæ vis repræsentativa omnium mutationum quæ in Corpore fiunt concessa atque concreata sit; uti ex gr. Deus vim repræsentativam hujus Universi habet & omnium quæ vi naturæ ipsi inditæ eveniunt; ita Menti hominis, ad similitudinem sui creatæ, talem indidit vim, ut sibi Corpus suum & quidquid mutationis in eo contingit repræsentare possit. Vis tamen illa repræsentativa Animæ, etiam respectu Corporis sui & mutationum quæ in eo contingunt, certis circumscripta est limitibus, nec ulterius sese extendit, quam ad moralitatem actionum & ad vitæ hujus negotia peragenda necessum est.

Quia Anima vim Corpus suum, cum præcipuis mutationibus quæ in eo eveniunt, sibi repræsentandi habet, sequitur: Ipsam eadem vi, qua sibi mutationes Corporis sui repræsentare potest, mediante Corpore etiam ea sibi repræsentare posse, quæ extra illud in hoc Universo contingunt:

tingunt: Pro vario nimirum Corporis situ in Universo, variæ etiam a rebus externis in organis Corporis nostri sensoriis excitantur mutationes in Corpore; cum vero Anima nostra ea vi ac facultate prædita sit, ut sibi Corpus suum, cum variis quæ in eo contingunt mutationibus, repræsentare possit, eo ipso etiam res sibi repræsentat quæ mutationes istas in Organis sensoriis producant sui-que imaginem Organis istis imprimunt.

Corpus itaque non aliter in Animam nostram agit, quam quatenus hæc vi ac facultate sibi omnia ea repræsentandi prædita est, quæ in Corpore eveniunt, & quas istud mutationes subit. Ratio objectiva itaque, cur ejusmodi sensationes in Anima excitentur, in Corpore quærenda est, illæ enim ex ipsa Animæ ceu automati natura non sequerentur, nisi mutationes istæ in Corpore contigissent. Ratio autem subjectiva istarum Animæ sensationum in vi ac facultate illa Animæ concretata quærenda, quia sibi Corpus suum, cum præcipuis mutationibus, quæ in eo eveniunt, repræsentare potest.

Quoniam Anima, vi naturæ suæ, gaudet facultate sibi Corpus suum cum mutationibus suis, quæ in eo contingunt, representandi, ex vi autem repræsentativa ista variæ oriuntur sensationes, fieri etiam non potest, quin ex sensationibus istis variæ etiam fluant Mentis volitiones, quæ iis determinantur, quæ Mens naturali sua facultate sibi repræsentat. Concipi ergo ex hisce potest, quæ ratione ex mutationibus illis, quæ in Corpore eveniunt, variæ etiam in Mente oriri possint volitiones,

litiones, mediante nimirum vi illa repræsentativa Mentis, qua sibi Corpus suum cum suis mutationibus repræsentare potest.

Percipimus itaque qua ratione Corpus nostrum organicum in facultates Mentis nostræ agere possit, non aliter nimirum, quam quatenus Anima nostra, vi naturæ suæ ipsi a Creatore inditæ, gaudet facultate, sibi Corpus organicum suum, cum mutationibus quæ in eo a rebus etiam externis contingunt, repræsentandi.

Si regerat mihi quisquam, ut ipsi explicem qua ratione Deus humanæ Menti talem repræsentationis vim atque facultatem concedere atque concreare potuerit, ut illa etiam absque immediata ac physica Corporis in eam actione & absque immediata Dei in illam operatione, Corpus suum illiusque operationes ac mutationes sibi repræsentare valeat, & ita quidem, ut sensationes illæ Animæ originem suam nonnisi eo sensu debeant, quod illa naturalem Corpus suum sibi repræsentandi facultatem possidet, non vero eo quod Anima sensationes istas, quas dependenter a Corpore habet, automati adinstar etiam sine Corpore ex se producat?

Ego vicissim quæro: Quomodo Deus Animæ nostræ essentiam suam ac existentiam dare potuerit? Quomodo ipsi cogitandi facultatem concreare potuerit? Unusquisque nimirum facile mihi concedet, Spiritum rationalem absque cogitandi facultate neutiquam existere, imo ne concipi quidem posse. Cum vero Anima nostra ad id creata sit, ut singularem aliquam relationem cum Corpore

pore organico habeat, aliter illa concipi nequit, quam ut, vi essentiae suae, facultate Corpus illud sibi repraesentandi gaudeat, utque Creator eam talem ac tali facultate praeditam ad existentiam produxerit, uti ex gr. Oculum cum facultate externam rerum formam atque figuram sibi repraesentandi, aurem vero ad sonos excipiendos efformavit; & ita quidem, ut vis repraesentativa externae rerum formae essentiam Oculi, & facultas repraesentativa motus illius, qui sonum efficit, Auris essentiam constituat. Idem Opifex qui Corpus cum Organis, hujuscemodi facultatibus praeditis, efformare potest, idem etiam Ens spirituale cum facultate repraesentativa Corporis illius organici, quod arctissimam cum eo relationem habet, e nihilo producere poterit. Imo si dicere velimus quod verum est, Deus aliam Animam spirituales, intelligentem, ac rationalem e nihilo producere non potuit, quam talem, quae facultate gauderet intelligendi, & quidem non ea tantum quae intra se sunt, sed & ea quae extra se & praecipue quae arctissimam secum relationem habent.

§. XVI.

Ad alterum nunc, quod ad arctissimum Animae & Corporis commercium necessarium est, pervenimus, ad modum scilicet quo vicissim ad certas Animae cogitationes ac volitiones certi etiam in Corpore motus sequuntur, ut Corporis nostri membra Voluntatis imperio ita subsint, ut ad merum ejus nutum ii in Corpore motus fiant quos Mens excitare voluit; ut ad solum Voluntatis actum se hoc vel illud brachium, vel dexter vel sinister pes, vel hic vel ille digitus, sive pedis
sive

sive manus, vel dextrorsum vel sinistrorsum, vel sursum vel deorsum sese moveat; ut ad solum voluntatis nutum vel cubet Corpus meum, vel sedeat, vel sese erigat; vel stet vel ambulet; ut digiti mei ad solum voluntatis jussum potius has litteras ac verba quam alia, potius hac quam illa lingua scribant; ut lingua mea potius has quam alias voces pronuntiet, potius hos quam alios sonos excitet; ut oculos meos vel claudere vel aperire possim: Hæc omnia statim ac Mens mea ita voluit, fieri sentio. Hæc ita fieri ipsa Experientia testis est, qua autem ratione hæc omnia fiant, id maxime quæritur. An nimirum Anima nostrâ immediate Essentia sua in Corpus nostrum influat, an illud per influxum physicum moveat & excitet? An vero Deus ad certas Mentis humanæ volitiones iis conformes in Corpore motus immediatâ sua vi producat? Vel an Corpus independenter ab Anima ex propriis agat principiis? Vel an denique alia sit ratio qua hi effectus explicari possint?

Ego hanc Mentis nostræ omniumque spirituum vim esse arbitror, & in hoc ipsorum extra se operandi modum a Corporum vel rerum materialium operationibus distinctum esse puto, quod Entia spiritualia per solam voluntatis vim in Corpora imperio suo subdita agere, atque mutationes in iis producere possint:

Ea scilicet rerum materialium agendi ratio ab ipso Creatore ordinata ipsisque concreata est, ut non aliter quam per contactum vel mediatum vel immediatum extra se agere & in aliis rebus materialibus mutationes producere valeant. Uti nimi-

rum res corporeæ propria virtute nec existentiam habent, ita nec vires motrices, quibus in res extra se agunt, haberent, nisi eæ ipsis a totius naturæ Auctore concreatæ ac inditæ fuissent; ratione igitur essentiæ suæ convenienti in alias res materiales extra se constitutas per attactum operari possunt, inque iis hoc operandi modo varios producere effectus. Etiam Spiritibus vim quandam naturalem in res corporales operandi inesse, nos arctissima illa relatio dubitare non sinit, quæ ab ipso summo rerum Opifice inter Mundum visibilem ac spiritualement constituta est. Uti autem Essentia Entium spiritualium a materia toto genere diversa est, ita nec eorum vires ac facultates adeoque nec operandi modi similes esse possunt. Entia spiritualia intellectu ac libera voluntate prædita sunt, Corpora vero non item; alia itaque vis Spiritibus quam Corporibus inest, unde etiam aliud oportet sit eorum agendi modus. Longe igitur aliter Corpus agit ac patitur, quam Spiritus agit ac patitur. Spiritus sentit se volendo agere, Corpus autem movendo; quidquid igitur Corpus motu efficit, id Spiritus volendo efficere ac in mundo materiali producere tentat. Uti vero vis uniuscujusque Corporis certis circumscripta est limitibus, ita etiam vis Voluntatis creatæ suos habet limites, unde subinde major ejus nisus quam effectus est.

Hæc itaque respectu operationum Voluntatis sive Mentis nostræ in Corpus organicum mihi stat sententia, quod Animæ talis a Creatore indita ac concreata sit agendi vis, ut solo Voluntatis actu, nullo alio interveniente medio, in hoc vel illud Corporis organici membrum pro lubitu ac arbitrio

trio suo agere possit. Modo velit, etiam in di-
 stans, digitum, vel manum, vel pedem, hoc
 vel illo modo movere potest. Hanc concretam
 Menti vim, qua solo voluntatis imperio agere
 potest, Creator vel augere vel minuere, vel ul-
 terius extendere, vel arctioribus circumscribere
 limitibus potuisset, si voluisset, & voluisset si
 omnium rerum convenientia ac harmonia id re-
 quisivisset. Motus ac operationes Corporis nostri
 duplicis generis sunt; datur nimirum talis motus,
 qui ex ipsa Corporis structura, continua serie ac
 successione continua ex motibus antecedentibus
 sequitur, qualis est motus sanguinis, spirituum,
 quos vocant, animalium, succi nutritii, in quo
 vita Corporis consistit, & immediato voluntatis
 imperio subjectus non est. Alterum genus motus
 illud est, quod per externa membra fit, motus-
 que voluntarius vocatur, quia voluntati subjectus;
 uti exempli gratia, quod nunc pro lubitu digitos
 meos movere ac scribere possum, in quo motu
 digiti a solo voluntatis jussu pendent. Prior mo-
 tus a voluntate independens ad continuationem
 vitæ animalis pertinet; posterior vero voluntati
 subjectus actionibus liberis patrandis ac vitæ nego-
 tiis peragendis inservit. Ex quibus apparet, im-
 perium voluntatis ne quidem in Corpus nostrum
 universale esse; Creator illud certis definivit li-
 mitibus; noluit conservationem sanitatis ac vitæ
 nostræ, quæ in continuato illo ac nunquam in-
 interrupto intrinseco motu consistit, in volun-
 tatis nostræ potestate esse; propterea eum nec vo-
 luntati subjecit: Voluit contra, ut actiones illæ
 liberæ, a corpore peragendæ, nec non vitæ hu-
 jus negotia, a voluntate nostra pendeant; ideo

ei etiam vim indidit, ut membra huc pertinentia pro lubitu regere possit.

Hucusque nondum satis clarum me in exponenda hac Hypothesi fuisse sentio, unde alio adhuc modo proponenda res est. Deus Spiritus gradu absolute summo perfectissimus, intellectu infinito ac voluntate infinita gaudens, has in primis possidet facultates, quod ab una parte & semet sibi-metipso, & quidquid per eum possibile est, nec non omnia ea, quæ vi voluntatis suæ aut jam extiterunt, aut actu existunt, aut demum futura sunt, modo distinctissimo, adæquatissimo ac simul sibi repræsentat. Ab altera parte solo voluntatis imperio etiam extra se operari ac producere potest quidquid ipsi placet; omnes illæ mutationes, quas in mundo hoc visibili evenire videmus, a nutu voluntatis ejus pendent; & ita quidem eas producit, ut non Essentiam suam Corporibus illis ac materiæ applicet, sed nonnisi velit ut aliquid fiat, ut in locis a se distantibus etiam operetur: Quod autem quâ ratione cum Divina Omnipræsentia conciliari debeat, ne nobis sensus a veritate abhorrens affingatur, infra prolixius explicabimus.

Summus hic omnium rerum extra se Auctor ac Opifex, non mundum tantum materialem, ac nulla ratione præditum, sed & Entia rationalia existere voluit. Talia autem cum vario perfectionis gradu, ut suo loco videbimus, extra se produxit, eaque his præcipue ornavit donis ac hujusmodi instruxit facultatibus, ut ad instar benignissimi Conditoris sui, quamvis gradu infinite
 infe-

inferiori ac minori, ab una parte facultate intelligendi, ab altera autem vi volendi, & per voluntatem agendi, prædita essent; Facultate 1) intelligendi, ut & sibi met ipsis conscii, & ideam tum Creatoris sui, tum ejus operum haberent, ipsumque ex iis noscerent; hac facultate & visibilia & invisibilia, & præterita & præsentia, imo & futura sibi repræsentare possunt; adeoque hac in re similitudinem quandam sive analogum quid cum sapientissimo suo Creatore habent. Non vero perfectissimo tantum intellectu Ens illud infinitum gaudet, sed & voluntate perfectissima ac potentissima, qua solo volendi actu efficere potest quidquid lubet, qua vocare potest quod non est ut sit, qua in hac vel in alia mundi regione operari ac mutare potest quidquid vult, qua sine ullo Essentiæ suæ contactu aut proximitate, solo imperio in res materiales operatur atque hunc vel illum motum in iis producit; ideo & in Creaturis intelligentibus umbram vel similitudinem quandam hujusmodi operationis existere voluit, earumque Menti talem vim concreavit, ut in res materiales quasdam solo voluntatis nutu operari possent, adeoque & in hoc analogum quid cum Ente perfectissimo haberent. Deus nimirum quoad perfectiones suas cognosci ab Entibus intelligentibus voluit, hocque tum ex sui ipsius, tum ex aliorum Operum inspectione; ex seipsis autem Deum melius cognoscere non possunt, quam si simile quid, aut analogum, cum Deo, in se deprehendant, idque non respectu Intellectus tantum aut ejus donorum, sed & voluntatis ejusque operandi modi. Nihil est quod creaturam rationalem magis in admirationem rapit, ac venerationem erga Deum

excitat, quam potentia divina; qua autem ratione attributum hoc melius cognoscere potest, quam si ejus umbram aliquam in seipsa deprehendit, & si inde ad infinitum concludere potest. Quod insigne voluntatis donum quomodo inprimis in Angelis, spiritibus nobis longe perfectioribus, emineat, nec non in iis, quibus vis patrandi miracula concessa erat, infra uberius explicabimus.

At metuis B. L. impossibile esse ut Deus virtutem hancce creaturæ concreare possit; metuis Mentem creatam tale esse subjectum, quod hujusmodi vis minime capax sit.

Multa omnino impossibilia nobis videntur, si ad modum eorum respicimus, quæ tamen revera existunt. Si mihi modum explicaveris, quo Deus solo voluntatis suæ imperio non modo aliquid e nihilo producere, sed quomodo etiam in objecta, ratione loci a se distantia, operari possit, quomodo ad solum voluntatis ejus nutum in hoc vel in altero hujus mundi extremo maximi sequantur effectus: Et ego tibi explicabo quomodo etiam creatæ Mentes similitudine quadam Dei præditæ, etiam ratione operandi in Corpore, analogum quid cum Deo habeant. Dicas mihi qua ratione Deus aliquid immaterialis Essentiæ suæ, aliquid *Intellectus ac Sapientiæ suæ* analogum extra se producere potuerit, & tibi vicissim exponam quomodo Deus ratione *facultatis operandi* etiam analogum quid extra se efficere potuerit? Quid impedit quo minus is, qui aliquam *Intellectus sui similitudinem* creaturis concedere potest, etiam *Voluntatis suæ similitudinem* iisdem largiri possit? Voluntas

tas autem, etiam per operationes extra se, efficacem sese exhibet, ubi autem est similitudo voluntatis divinæ, ibi etiam similitudo efficaciam ejus, sive operandi modi, esse debet. Uti enim absque clara & distincta repræsentandi vi nulla Intellectus divini similitudo esse potest, ita nec Voluntatis similitudo locum habet, nisi efficaciam ac operationis ejus adsit similitudo.

Inquis: Creaturam istiusmodi operandi modi capacem non esse. Quod utique absque divina voluntate ac potentia verum est. Nam a nobis ipsis nihil sumus, nihil valemus, neque enim nostra virtute vel stipulam loco movere possumus, membris nostris multo leviolem; a Dei summa atque infinita potentia ita Mens nostra pendet, ut ultra citraque eum quem posuit modum ac fines, ne levissimum quidem pulvisculum humo tollere queat; at quid obstat, quo minus summus rerum omnium Opifex, qui tam stupendorum Operum Auctor est, has Menti a se creatæ leges figere, hasque vires ei communicare possit, ut solo voluntatis nutu certos effectus extra se producere valeat? Qui Spiritibus illis cœlestibus, quos Angelos vocamus, tantam operandi vim, nostra tanto majorem quantum cœlum a terra distat, tribuere, qui hominibus potentiam patrandi miracula concedere potuit, is ipse Corpus organicum etiam mero Voluntatis imperio ac vi subicere poterit.

At metuis: Ne hac ratione creaturæ hoc tribuatur, quod Creatori soli competit. Sola enim voluntatis efficacia ac nutu operari, attributum divinum esse videtur.

Multum vero Mentis humanæ vis etiam hac ratione ab infinita Creatoris vi remota est. Ipse enim eam a seipso possidet, eam ex seipso habet; creatura autem eam pro summi Conditoris beneplacito non nisi mutuo accepit, tota quanta est, secundum omnem suam realitatem ab eo pendet, nec quidquam suarum virium a seipsa habet. Creatoris vis atque potentia infinita est, ad omnia possibile se extendit; Spirituum autem creatarum pro summi Conditoris beneplacito, admodum arctis circumscripta est limitibus, quos Creator vel arctius definire vel latius extendere potest, prout finis sapientissimus id requirit.

Inquis; me itaque hic ad Dei *Omnipotentiam*, recurrere, quæ talem relationem inter Entia Spiritualia & Corpora nonnulla instituerit, ut ad voluntatis actum necessario etiam Corporis cujusdam, Mentis imperio ab ipso Deo vi primæ Creationis subjecti, motus ac mutatio sequi debeat.

Hoc ipsum est quod negare nollem, ad hunc primum omnis Existentiæ fontem semper recurrendum est. Uti omnis rerum Essentia ab Intellectu divino pendet, ita omnis Existentia, non rerum ipsarum modo, sed omnis etiam modi, omnis realitatis, omnis ordinis, omnium virium, omnis relationis rerum ad seinvicem, originem, ordinationem ac originariam constitutionem suam Omnipotentia Divinæ debet; huc non omnes tantum Theologi, sed & omnes Philosophi tanquam ad primam omnis realitatis Causam tanquam ad sacram quandam anchoram recurrunt, & ita ad eam recurrunt, ut *constitutionem regularum naturæ*.

naturæ rerum Universalium nonnisi Deo tribuantur, determinationem autem ad hanc vel illam actionem specificam creaturæ rationali adscribant. Regula itaque illa Universalis a solo Deo est, vi cuius in certis Corporibus ad voluntatem Entis spiritualis alicujus certa mutatio ac motus sequi debeat, & applicatio regulæ hujus ad hanc vel illam actionem specialem, vel determinatio ad hunc vel illum specificum actum creaturæ permissa est.

§. XVII.

Sed res a prima sua origine adhuc repetenda ac historice tractanda est. Deus nimirum sibi sufficiens, se solo beatus, satis suis bonis dives, sui in summa solitudine plenus, nullius rei indigus, qui sine rebus extra se esse, & sine iis beatissimus in perpetuum esse potuisset, pro mera ac summa liberalitate sua, se ceu summum bonum Entibus extra se communicare, virtutes ac divitias suas iis quam liberalissime explicare, atque se extra se representare voluit, atque ita velut in imagine quadam cerni.

Hunc ut consequeretur finem, pulcherrimum illud atque immensum cœli expansum, & in eo sublime illud candens, solem, oculi oblectamentum, ortu & occasu suo diei noctisque vicissitudinem dimetientem, sideraque illa stellasque numero, magnitudine, pulchritudineque sua de Creatoris sui αἰδώς δυνάμει καὶ θεϊότητι, ordine ac motu suo de summa Opificis sapientia, usu denique multifario suo de immensa ejus bonitate luculentissimum exhibentes testimonium, extra se produxit.

Omnia igitur , quæcunque in hoc Universo reperiuntur , cælum cum omnibus quibus ornatum est sideribus stellisque , terram , mariaque & quæ in iis sunt , summi Numinis gloriam prædicare , quis tam stupidus est qui non agnoscat : Cæli enarrant gloriam Dei , & opus manuum ejus indicat expansum eorum. Dies diei eloquitur sermonem & nox nocti indicat scientiam. Non est sermo , nec sunt verba , ubi non auditur vox eorum. Frustra autem conclamaret cælum terraque , frustra totum hoc Universum ad Dei gloriam prædicandam invitaret , nisi etiam esset qui vocem ejus audiret ; frustra Deum glorificandi amplissimam materiam darent stupenda illa Dei Opera , nisi Entia etiam ratione prædita essent , quæ summi Opificis attributa ex omnibus ejus operibus cognoscere eumque ex iis celebrare possent.

Ad hunc finem condi debuit Mens , quæ intellectu prædita esset , quo non solum Deum cognosceret , sed in qua etiam esset imago quædam Dei , & in qua eminentissimæ Dei Virtutes delineari quam accuratissime possent , eæque etiam in reliquis mundi partibus conspici. Et quoniam in Deo cum summa agendi potentia plenissima libertas est , hinc & harum rerum in Mente creata debuit esse similitudo quædam , & quantum pote vestigium quoddam , ut cum naturali quodam ac rationali agendi principio , quamvis non sui pleno titulo juris , etiam extra se agendi actionesque liberas edendi vis atque potentia adesset.

Finis itaque Mentis creatæ in aspectabili hoc mundo duplex est : Primus nimirum ut esset qui
 infini.

infinitam Creatoris potentiam ac Deitatem ex visibilibus hujus mundi operibus cognosceret & summa hæc Dei attributa vivis quasi coloribus in tabula pictas contemplaretur. Cum vero visibilia illa ac materialia Dei Opera, ipsam Dei Essentiam, ipsam intelligendi ac volendi, quæ ipsi competit, vim ac facultatem non exprimant, talia condi debuerunt Entia, quæ ex propriæ suæ naturæ inspectione ac cognitione, ex proprio operandi modo, Dei ipsius Essentiam, facultates ac agendi rationem aliquo saltem modo cognoscerent; unde convenientia ac similitudo quædam Essentiæ inter Deum & Mentem creatam esse debuit. Licet nimirum nihil de Deo & de Creaturis univoce dici possit, hoc est, quamvis verum sit nihil in Deo esse eo modo quo est in Creaturis, & quamvis creatura vicissim nihil eodem modo ac sensu possidet quo ipse Deus, est tamen inter hos aliquid analogiæ, similitudinis seu convenientiæ. Vel si tibi placuerit ut potius hoc modo enuntiem, Deus voluit ut aliquid præter se esset, quod quasi sit umbra vel speculum & tabula, ubi ejus Essentia ac perfectiones per aliquam similitudinem, non sibi cum illis essentialem, sed umbraticam tantum repræsentarentur.

Entia nimirum quæ nonnisi ex materia constant non referunt ipsam summi Entis intelligendi facultatem, nec etiam ipsam liberæ Voluntatis vim ac facultatem repræsentant, & cum Corpora nonnisi motu ac tactu agant, eum operandi modum adumbrare nequeunt, quo Ens spirituale naturæ suæ conformiter agere solet, sed & res purè materiales nec summæ Dei Sanctitatis aut Justitiæ imaginem sistere possunt.

Ne

Ne ergo hæc omnia ipsam Dei Essentiam constituenta abscondita manerent, non res corporeas tantum, sed & Entia spiritualia, similitudine quadam Essentiæ Divinæ prædita a sapientissimo ac potentissimo Conditore efformari debuerunt. Entia nimirum tali natura instructa; quæ facultate intellectus rationalis sive vi repræsentativa gauderent: Entia quæ voluntate libera essent instructa: Entia quæ non eodem modo agunt, quæ res materiales agunt, non per rerum contactum ac transitum motus, sed quæ modo naturæ Entis spiritualis proprio ac conveniente operarentur: Entia denique talia, quæ Virtutis moralis, Sanctitatis, Veracitatis ac Justitiæ capacia essent.

Nemo erit, qui ex hisce quæ diximus colligere non poterit, inter Entia hæc Spiritualia ac mundum materiale arctissimam constitui debuisse relationem, qua Deus finem creationis totius Universi consequi posset. Relatio ista duobus potissimum absolvitur; primum hoc est: Quod Spiritus creatus gaudet vi repræsentativa mundi materialis, ut ex eo infinitam Dei Potentiam ac Sapientiam cognoscere posset. Vis itaque repræsentativa illa Mentibus concreari debuit; propter sapientissimas autem rationes ab Anima hominis illa exercetur mediante Corpore organico. Mens nimirum humana gaudet vi repræsentativa Corporis sui omniumque mutationum quæ in eo contingunt. Præcipuæ autem mutationes istæ excitantur a rebus extra Corpus hominis constitutis in organis ejus sensoriis; & cum Anima vi repræsentativa Corporis omniumque mutationum gaudeat, eo ipso etiam res illas sibi repræsentare potest, quæ
muta-

mutationes illas in organis sensoriis efficiunt. Alterum quod ad relationem istam, de qua loquimur, pertinet; hoc est, quod Mens creata etiam vi operandi in Corpora, modo Essentiæ suæ conformi, adeoque non per attactum, sed simili aliquo modo quo divina Voluntas in Corpora operatur, prædita sit. Unde Deus generalem hanc naturæ legem ac regulam fixit, *ut Corpora quædam ad solum voluntatis creatæ nutum ac imperium sese moveant mentisque jussa exequantur, ita tamen ut specificum actionis sive determinatio actionis specificæ ad hunc potius quam ad illum motum Corporis ejusdem, ad hunc potius quam ad alium usum motus illius, liberæ creaturæ voluntati permissa sit.* Ut subjectio illa generalis Corporis, qua a voluntatis creatæ imperio atque vi agendi pendet, immediatum Dei opus sit, qui has naturæ præscripsit regulas; specialis autem regulæ ac legis illius generalis applicatio ad hunc potius quam ad alium motum specificum ab arbitrio voluntatis creatæ mentis pendeat.

Ex hisce sequentia fluunt corollaria:

1.) Quod eo major Mentis creatæ in Corpora agendi vis sit; atque eo latius imperium illius in res corporales pateat, quo propius ad Dei similitudinem accedit.

2.) Quod vis Angelorum, Spirituum Anima nostra longe perfectiorum, eo ipso etiam, ratione operationis eorum in res corporales, & extensio imperii eorum in Corpora, latius pateat, quo propius ad similitudinem divinam accedunt:

3.) Licet Deus legis illius generalis auctor sit, quod Corpus aliquod, cum justa tamen limitati-
one,

one, ad voluntatis creatæ nutum sese movere debeat, motus tamen ipse illiusque moralitas Menti ipsi ideo tribuenda sit, quia ab eo *determinatio motus ad specificam actionem* pendet.

§. XVIII.

A generalibus nunc ad specialia accedimus. Cum finis Creationis Universi duplicis generis Entia requisiverit, *materialia* scilicet & *spiritualia*, & ad obtinendum finem illum relatio inter duo hæc Entium genera necessaria fuerit; hinc Deus præter alia Entia intelligentia ad sui similitudinem efformata etiam hominem orbis hujus terrestris incolam creavit. Finita nimirum mundi aspectabilis creatione ita loquitur summus atque optimus omnium rerum Conditor: *Faciamus hominem ad imaginem nostram, nostri similem, qui dominetur piscibus aquatilibus, volucribus aëreis, pecudibus, denique toti terræ, & quidquid in terra movetur. Itaque hominem Deus ad sui, id est, ad divinam imaginem creavit; scilicet marem & feminam.*

Novi Theologos nostros divinæ imaginis naturam explicantes in solis qualitatibus moralibus subsistere, nec simul facultates Mentis physicas cum earum operationibus considerare. Ratio autem hæc est, quia Theologus intra limites suos manet, nec ea explicat, quæ scientiam theologicam immediate non tangunt. Tota enim Theologia practica est, unde in ejus explicatione ea omittuntur quæ in praxin non influunt. Non igitur ad Theologiæ tractationem nisi qualitates morales pertinent, unde in ea nil nisi sanctissimum veritatis studium ad Dei imaginem requiritur.

Plures

Plures tamen adsunt rationes quæ suadent Imaginem Dei in homine latius quam ad solas Mentis qualitates morales extendendam esse, & physica ac substantialia quoque attributa in se complecti.

1.) Quia Deus hominem ad sui imaginem creavit, atque ita sui quandam analogiam, similitudinem, umbram ac convenientiam existere, & hac ratione ab homine cognosci voluit, patet: Deum non tantum attributorum suorum moralium, uti ea vulgo appellari solent, imaginem quandam in Mente hominis existere voluisse, sed & omnium eorum attributorum, quæ ad Divinitatis Essentiam pertinent, iis solis exceptis quæ cum creaturarum natura consistere minime possunt, ut ejus aseitias, infinitas &c.

2.) Sanctitas atque Justitia, qualitates divinam imaginem referentes, locum habere non possent, nisi ipsum etiam subjectum cui insunt similitudinem quandam Dei haberet. Uti ex gr. res aliqua materialis proprie nec justa nec sancta dici potest, quia reliqua ejus attributa hisce qualitatibus non respondent; ita nec Mens humana in moralibus analogiam quandam cum Deo habere posset, nisi etiam reliqua quæ ipsi insunt aliquid Deo simile haberent.

3.) Divina illa Mentis humanæ similitudo in iis omnibus consistat oportet, in quibus illa a reliquis creaturis, quas Deus antea creaverat, differt; finita nimirum visibilis mundi creatione, Deus rationalem ejus incolam producere volens, institutum

tutum suum de creatione hominis ita proponit ; ut indicet creaturam hanc quoad Essentiam ac attributa sua toto genere a reliquis differre , & in eo maxime a cæteris distingui ; quod similitudinem Dei referat : Faciamus nunc hominem inquit ad imaginem nostram ; non de qualitatibus tantum moralibus loquitur , sed de omnibus iis quibus homo a reliquis creaturis hætenus creatis differt , & respectu quarum iis opponi potest. Unde similitudo illa divina ad omnia ea extendenda ; quæ hominem ab iis creaturis distinguunt ; quarum creationem Moses hætenus recensuerat , & quæ ipsum hominem faciunt.

4.) Imago hæc divina insuper seu juris illius seu Domini in reliquas creaturas fundamentum proponitur , ad quod non solum qualitates illæ morales pertinent , sed omne illud quod hominem ad dominium hoc exercendum idoneum reddit ; *intellectus* nimirum *rationalis* ac *voluntatis liberae imperium* , ac specialis aliqua vis , qua ea quæ sub dominium suum constituta sunt coercere potest. Partem itaque similitudinis hujus divinæ ea omnia faciunt , quæ hominem ad imperium hoc exercendum aptum reddunt.

5.) Cum Dominium hoc in creaturas immediate ex similitudine illa divina fluit , sequitur & istud haud exiguam ejus partem esse ; universale enim istud ac absolutum Dei in omnes creaturas imperium ac potestas ad ipsam divinam naturam pertinet , unde ejus etiam analogiam ac similitudinem quandam in homine existere voluit.

Cogitabit forsan B. L. me hac ratione & Ecclesiæ Romanæ & Socinianorum favere Hypothesi, quoniam prior divinam imaginem non tam in qualitatibus illis moralibus, quam in spiritali Animæ nostræ Essentia, in intellectu nimirum ac libera voluntate; posteriores autem in solo illo in creaturas dominio quærent.

At hi a se invicem sejungunt, quæ separanda non sunt. Alteri imaginem illam divinam in solis Mentis facultatibus quærent; alteri vero nonnisi in Dominio. Omnia si conjungerent, quæ ad similitudinem illam divinam pertinent, erroris minime accusarentur.

§. XIX.

Ex quibus nunc facile patet: Analogiam illam ac similitudinem, quam Adamus cum Deo habebat, se etiam ad voluntatis illius facultatem, nec non ad ejus exercitium extendisse, ideoque etiam similitudinem quandam cum eo operandi modo complectebatur, quo Dei voluntas liberrima operatur.

Mens itaque ejus nonnisi volendo in res materiales agebat, sive tali præditus erat Mentis vi, ut res illæ corporales, quas illius imperium complectebatur, ad solum voluntatis ejus nutum sese ita moverent uti voluntas ipsius hoc requirebat.

Uti nimirum Deus solo Voluntatis actu in omnia Corpora agit, ut Essentiæ suæ applicatione aut influxu physico opus minime habeat, si in Corpora agit; ita etiam in rerum natura tales fixit le-

ges, ut Mens etiam creata solo voluntatis nutu atque vi in certa Corpora agere queat, adeoque etiam in modo operandi analogum quid cum Deo habeat.

Ad quod *lex illa Universalis* a Deo constituta pertinet: *Ut certa Corpora ad solam Mentis creatæ voluntatem sese moveant; specialis autem determinatio ad actum vel motum specificum a solo creaturæ rationalis arbitrio pendeat, ut illa in Corpore sibi subjecto motum vel hac vel illa ratione modificare queat, adeoque actionis species ipsi voluntati creatæ subjecta sit, licet generale Ordinationi divinæ adscribendum sit.*

Deus omnium rerum auctor istam voluntatis creatæ agendi vim atque in Corpora imperium vel augere & latius extendere, vel etiam minuere potest, prout reliqua mundi harmonia atque circumstantiæ cæteræ id requirunt.

Ordinarie autem magnitudo virium istarum Mentis creatæ, quibus in Corpora operatur atque imperium suum exercet, a majore vel minore similitudine Mentis cum Deo pendet.

Propterea vis Angelorum, quam solo voluntatis nutu in res materiales etiam a se distantes exercere possunt, multo major est quam Mentis humanæ, quia propius ad similitudinem illam Voluntatis Divinæ accedunt. Exemplum hujus rei habemus in Angelo illo, qui unica nocte centum octoginta quinque millia militum in Assyriorum castris interneconi dabat; nec non in eo, qui Davidis tempore in area Aravnæ stans pestem excitabat

tabat, qua septuaginta virorum millia moriebantur, ut alia plura exempla taceam. Licet jussu hæc divino fiebant, siquidem Angeli boni in mundo præter mandatum speciale divinum nihil noceant; dici tamen nequit, Immediata Dei operatione stupenda illa opera fuisse peracta, ad quid enim Angelorum ministerio ac præsentia opus fuisset, nisi ipsimet, ad divinum quidem mandatum, propriis ea viribus peregissent. Haud abs re propterea in Scriptura fortissimorum Heroum nomen gerunt.

Quoniam Adamus ante lapsum majore similitudine Dei gaudebat quam post lapsum, etiam voluntas ipsius majori in res materiales agendi vi prædita fuit ac post lapsum, quia magnitudo virium istarum Mentis, quibus simili modo operari potest quo Deus operatur, a majore similitudine cum Deo pendet.

1.) Externi illi Corporis motus, quos voluntarios ac liberos vocamus, nutui ac imperio voluntatis ipsius magis ac post lapsum subjecti erant. Per lapsum enim ordo ille generalis, quem Deus instituerat, aliquo modo turbabatur.

2.) Diximus Corporis organici nostri motus duplicis generis esse, alteros liberos membrorum externorum ad edendas actiones liberas & ad vitæ negotia peragenda: Alteros internos sanguinis, spirituum animalium &c. vitæ animalis principum, qui, quoad homo vivit, in Corpore continuata serie ac successione continuata ex motibus antecedentibus sunt. Videtur etiam hos posterioribus

ris generis motus in statu hominis integro, a voluntatis ejus nutu pependisse. Post lapsum autem Deus noluit Corporis sanitatem ac vitæ animalis perpetuam continuationem ulterius in hominis peccatoris potestate esse, unde ea per amissionem præcipuæ similitudinis divinæ partis privatus fuit.

3.) Imago divina etiam Domini illius fundamentum fuit, quod Adamus in statu integro in animalia omnia ac Res Soli exercebat; quod Dominium majus quidquam solum usum fructum, & non solum ejusmodi possessionem secum ferebat, quali homo etiam nunc post lapsum gaudet. Major ex. gr. erat animalium brutorum erga hominem obedientia, neque unquam ipsi bestię illæ rapaces ferocesque quidquam nocuissent, non ideo quod eo tempore aliam habuerint naturam ac nunc habent, sed quia Adamus noluit ut ipsi noceant.

4.) Si homo in statu primitivo mansisset, forsitan vi voluntatis suæ talia efficere potuisset, quæ miraculis proxima fuissent. Ratio autem cur homo post lapsum nec idem in cæteras creaturas Dominium, vel Domini hujus exercitium habeat, quod in statu integro possidebat, tum in præcipuæ similitudinis divinæ partis amissione, tum in hoc etiam quærenda est, quod homo actiones suas non amplius juxta regulam divinorum attributorum ac harmoniæ cum Universo instituit, unde maxima in mundo etiam aspectabili orta fuisset confusio, si homo vitiis deditus iisdem Mentis suæ ad externas actiones & Domini exercitium præditus fuisset, quales ante peccatum habuit.

Sum-

§. XX.

Summus virium Mentis creatæ gradus, sive Angelus sive homo sit, in hoc consistit, quod solo Voluntatis imperio Miracula patrare potest. Talem potestatem Christus Discipulis suis concessit: *Itaque advocatis duodecim discipulis suis, dedit eis contra spiritus impuros potestatem, ut eos expellerent, & omnes morbos omnesque languores sanarent. Euntes autem prædicate, dicentes: Instare regnum cælestæ. Aegros curate: Leprorsos purgate: Suscite mortuos: Dæmonia ejicite: GRATIS ACCEPISTIS, gratis date.* Matth. X: 1, 7, 8. Res nimirum non ita concipienda est, ac si Deus respectu miraculorum omnes operationes específicas immediate produxisset, alias nec Apostolis Potestas hæc adscribi, nec illos gratis eam accepisse, dici posset; admodum etiam improprie diceretur, ipsos mortuos suscitare, ægros sanare, Dæmonia ejicere &c. Non ergo meri tantum miraculorum indices, sed & instrumenta fuere, quibus Deus eam concessit vim, ut solo voluntatis suæ jussu opera illa efficere possent.

Ne male intelligar, ac si hæc mihi staret sententia, quod homines illi independenter a summo Numine Miracula efficere potuissent, sed, ut clarius Mentem meam enuntiem, *Deus legem ac regulam illam generalem constituerat: Ut quidquid Apostoli, ad homines de Veritate missionis suæ divinæ ac Doctrinæ Evangelicæ convincendos, respectu sanationis varii generis ægrotorum juberent, id ad solum eorum imperium confestim fieret: Determinatio autem potestatis istius ad actionem specificam libero Apostolorum arbitrio ac beneplacito permissa erat. Generale itaque a Deo, speciale autem ab Apostolis pendeat:* Neque post or-

dinationem illam generalem immediata Dei operatione ad omnes actiones specificas opus erat.

Ex his sequens elicere possumus corollarium : Cum Deus constitutione aliqua generali efficere potuit , ut certi homines mera sua voluntate etiam immediate in res extra se constitutas agere , & ita agere potuerint , ut licet generale a sola ordinatione divina pependit , determinatio tamen specialis sive ad actiones specificas libero hominum arbitrio permessa fuerit ; sequitur ; Deum in rerum natura etiam minus potuisse constituere , nempe ut Mentis humanæ voluntas vi propria ac immediata ipsi a Deo concessa ita agere possit , ut Deus legem hanc generalem constituerit , ut ad solum voluntatis humanæ imperium in Corpore ejus organico , quoad externum membrorum usum , in edendis actionibus liberis , ac peragendis vitæ negotiis , confestim tales sequerentur motus , quæ voluntati conformes sunt ; *Homini autem arbitrio permissum sit , an motus vel operationes istas potius hoc quam alio modo determinare velit , ut adeo actio specifica respectu regiminis Corporis sui a sola hominis voluntate pendeat.*

§. XXI.

Si homines ad summum similitudinis divinæ gradum pervenirent , forsan miracula patrare possent : *Quo viso , admirati discipuli dicere : Ut subito aruit ficus ? Quibus respondit Jesus : hoc vobis confirmo , si fidem habebitis , neque dubitabitis , non solum hoc de ficu facietis , verum etiam , si hunc montem iusseritis , ut amoveatur , & in mare projiciatur , fiet. Matth. XXI: 20, 21.*

Sæpi-

§. XXII.

Sæpius in hac disquisitione ad modum operandi Voluntatis divinæ provocavimus , ad cuius similitudinem , non moralem modo , sed & physicam , voluntas Mentis humanæ creata sit. Unde *tertia* hac Dissertationis hujus parte divinus hic in Corpora operandi modus brevibus evolvendus est.

Præcipuum quod hac de re observandum venit hoc est: Quod Deus non influxu physico , non Essentiæ suæ applicatione , sed solo voluntatis actu ac imperio , & suo sensu , in distans operatur.

Ante omnia autem modus Omnipræsentiaæ divinæ recte concipiendus est. Is enim non ab omnibus eadem ratione intelligitur. Sunt qui putant : Deum non tantum ratione operationis , sed & ratione totius Essentiæ suæ ubique , id est , in omni spatio diffusum quasi , ac præsentem esse ; unde celebratum illud scholasticorum dictum : *Enter , præsender , Deus est & ubique potenter*. Concipiunt nempe Deum , uti mihi quidem videtur , ut Ens aliquod per omnia diffusum & expansum , omnia permeans , cælum terramque Essentia sua replens , imo ultra adhuc sese diffundens , neque Deum ratione operationis præsentem posse esse putant , nisi prius respectu Essentiæ suæ omnibus corporibus , omni spatio præsens concipiatur ; nollem tamen asserere quæ BÆLIUS in articulo de *Simonide* dicit : *Disons donc qu'encore aujourd'hui presque tous nos philosophes & tous nos theologiens enseignent conformément aux idées populaires , que la substance de Dieu est repandue dans des Espaces infinis*. Sententiam se hanc olim fovisse maxime deplorat AU-

GUSTINUS: *Ita etiam te, inquit, vita vitæ meæ grandem per infinita spatia undique cogitabam penetrare totam mundi molem; & extra eam quaquaversum, per immensa sine termino, ut haberet te terra, haberet cælum, haberent omnia, & illa finirentur in te, tu autem nusquam. Sicut autem luci solis non obsisteret Corpus aëris hujus, qui supra terram est, quo minus per eum trajiceretur, penetrans eum non dirumpendo, aut concidendo, sed implendo eum totum; sic tibi putabam non solum cæli, & aëris, & maris, sed etiam terræ Corpus pervium, & ex omnibus maximis minimisque partibus penetrabile, ad capiendam præsentiam tuam, occulta inspiratione intrinsecus & extrinsecus administrantem omnia quæ creasti. Ita suspicabar quia cogitare aliud non poteram, nam falsum erat: Illo enim modo major pars terræ majorem tui partem haberet, & minor minorem. Paucis interpositis addit: Non autem es ita, sed nondum illuminaveras tenebras meas. Confess. lib. 7: cap. 1. Constituebam, inquit alibi, in conspectu spiritus mei universam creaturam, quicquid in ea cernere possumus, sicut est terra, & mare, & aër, & sidera, & arbores, & animalia mortalia, & quicquid in ea non videmus, sicut firmamentum cæli, insuper & omnes Angelos, & cuncta spiritualia ejus; sed etiam ipsa, quasi Corpora essent, locis & locis ordinavit imaginatio mea: Et feci unam massam grandem distinctam generibus Corporum creaturam tuam, sive quæ revera Corpus erant, sive quæ ipse pro spiritibus finxeram. Et eam feci grandem, non quantum erat, quod scire non poteram, sed quantum libuit, undiqueversum sane finitam. Te autem Domine, ex omni parte ambientem & penetrantem eam; sed usquequaque infinitum: Tanquam si mare esset ubique & undique per immensum infinitum solum mare; & haberet*
infra

infra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen; plena esset undique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari: Sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam, & dicebam: Ecce Deus, & ecce quæ creavit, & bonus est Deus, atque his validissime longissimeque præstantior; sed tamen bonus bona creavit, & ecce quomodo ambit atque implet ea. Post pauca quæ de malo differit adhuc sequentia addit verba: *Talia voluebam pectore misero, ingravidato curis mordacissimis de timore mortis: Et non inventa veritate.* Confess. lib. cit. cap. 5. Istiusmodi conceptus etiam alii de Omnipræsentia divina habent, nisi quod, contradictorie admodum addant: Deum quoad totam suam Essentiam esse in toto, & totum in qualibet ejus parte.

Si Scripturam Sacram consulimus, in qua Deus ipsemet sese describit: Illa mox de divinis operationibus gloriæque ejus in universo mundo per opera sua manifestatione, mox de modo quo Deus quoad Essentiam suam præsens est, loquitur. Quando ipsum a Gloriæ suæ manifestatione, quæ per illius opera fit, repræsentare vult, ita eum describit, ut ubique præsens sit, ut omnia impleat, ut in ipso vivamus, moveamur & simus, ut non procul sit ab unoquoque nostrum. Ab altera autem parte, de Essentiæ illius præsentia nos docens, ita de eo loquitur, quasi in altissimis cælis ceu throno habitaculi sui habitet, quod ex cælis despiciat, quod lucem inaccessam habitet, quique adeo mundo, ceu commorationis suæ loco ac spatio, non indigeat.

Rationem, in omnibus Sacræ Scripturæ consentientem, si consulimus, eodem etiam modo

divinam Omnipræsentiam nobis repræsentat: Nempe quod intellectui divino ejusque voluntati omnia ita sint præsentia, ut intellectus ejus universum hunc, qui extra ipsum existit mundum, totamque adeo omnium rerum seriem modo distinctissimo, adæquatissimo, unicoque actu sibi repræsentet; voluntas autem ipsius solo suo imperio ac nutu, sine Essentiæ applicatione aut influxu physico, omnia conservet, gubernet atque ita omnia operetur.

Cur vero Ratio nostra Dei Essentiam non ceu per universum mundi spatium diffusam, & hujusmodi relationem cum mundo materiali habentem concipere queat, sequenti imprimis nititur ratione: Quod Deus jamjam extitit cum nec mundus visibilis nec ulla adhuc existerent mundi spatia, adeoque divina Essentia etiam extra omne spatium non nisi in seipsa fuit. Unde non tantum clarissime sequitur, de ratione divinæ Essentiæ non esse, ut illa sit in spatio, neque in eo etiam esse potest, quia istud naturæ ejus non competit; sed & mutationem in Deo intulisset, sive novi quid Essentiæ ejus accidisset, si præsens illa universis mundi Corporibus facta esset, adeoque ratione præsentia suæ aliter modificata fuisset.

At quæris: Ubinam ergo divina Essentia sit? Respondeo: Ibi eam esse, ubi ab omni æternitate ante conditum mundam fuit, nempe in seipsa, in luce illa inaccessa; uti mundo ceu habitaculo suo, seu loco commorationis non opus habuit, ita & nunc eo ad finem huncce minime indiget.

Quæris: Quomodo itaque Deus omnibus rebus præsens dici possit? Respondeo, omnia ipsi esse

esse præsentia , quatenus intellectu suo omnia sibi repræsentat , maxima & minima , universalia ac specialia : Et quatenus omnia ab ipsius voluntate pendent. Præsens est *operative* ; præsens est creaturis ratione liberrimæ operationis , & repræsentationis quæ & ipsa Dei opus est ; cælum terramque replet , quatenus cælum , terra , omniaque replentur operibus voluntatis , sapientiæ , potentia , bonitatis , aliorumque divinorum attributorum.

Dicis : Divinam Potentiam ubique esse , cum vero illa sit essentielle Dei attributum : Sequi etiam , ipsius Essentiam ibi præsentem esse ubicunque operatur. Respondeo : Distinguendam esse in voce Omnipotentia ipsam illam facultatem in Deo , qua quicquid vult efficere potest , quæ *essentialis ipsius potentia* est , ab ejus *operatione* sive *effectu* : Quoad posterius , concedo ipsum ubique esse præsentem ; quoad priorem sensum , nego.

Objicis : Quemcunque ibi præsentem esse ubi operatur , cum non detur actio in distans , unde Deus ratione suæ Essentia præsens sit oportet ubi operatur. Respondeo : Hoc de Corporibus eorumque operandi modo verum esse ; Corpus enim absens sine intermediis aliis Corporibus in distans agere minime potest ; at plane alius est divinus agendi modus : Voluntas enim ipsius agere potuit antequam Corpora præsentia erant , cum existentiam ipsis largiretur. Deus nimirum mera voluntatis suæ vi agit , opus non est ut ipsa ejus natura in re illa sit , vel in subjecto illo , in quo operatur. Nimis assueta est nostra imaginatio operationibus Corporum physicis , quæ nonnisi per
 attactum ,

attactum , aut per motum corporum intermedio-
rum fieri possunt , aliter autem agit Ens spiritua-
le , quod omnibus rebus suam existentiam dedit ,
& mera voluntatis vi ac imperio agere potest.

Objicis denique : Hac ratione divinam Essenti-
am limitibus circumscribi , imperfectionemque ei
inferri. Respondeo : Ipsam nec ante Universi
creationem , ubi nullum adhuc extitit mundi spa-
tium , limitatam fuisse ; cum vero nunc eadem
sit quæ tunc fuit , sequitur illam hac ratione mi-
nime limitari , cum per Creationem nullam in ea
factam fuisse mutationem ratione suæ præsentia-
æ afferitur.

Si quæras : Quanam ergo ratione Deus in cor-
pora operetur , si ipsis Essentia sua præsens non
sit , neque ea tangat , nec permeet. Respondeo ,
ipsum naturæ suæ convenienter agere , non per
attactum aut influxum physicum , uti corpora in
se invicem agunt , sed sola potentissimæ volun-
tatis suæ efficacia , & quidem nullo mediorum in-
terventu , quasi Deus sine iis in ultimis nihil effi-
cere posset.

§. XXIII.

Deus huic operandi modo simile quid in Men-
tibus creatis extare voluit. Agunt istæ sine attac-
tu , sine influxu physico in Corpora sua , agunt
mera voluntatis suæ efficacia ipsis a Deo con-
cessa , agunt in externa corporis organici mem-
bra , movent extremas corporis partes pro lubitu
suo ; etiam in hocprehendunt simile quid , ana-
logum quid cum divino operandi modo ; & mul-

to magis adhuc ii, quibus miracula patrandi vis atque potestas a Deo fuit concessa.

§. XXIV.

Ex his nunc sequentes eliciuntur propositiones, ut omnia summatim dicamus.

1.) Corpora in se invicem agunt per contactum ac influxum physicum; aliter autem Entia spiritualia operantur, ratione scilicet naturæ suæ conformi, id est, per solam voluntatis efficaciam.

2.) commercium Corporis animæque nostræ in hoc consistit, quod Anima ea intellectus vi ac facultate prædita sit, qua sibi Corpus suum organicum cum omnibus mutationibus, quæ in eo vel in ejus organis sensoriis contingunt, repræsentare potest, unde etiam variæ in Mente oriuntur vel volitiones vel nolitiones: Quod porro Menti nostræ ea concessa sit vis, ut ad solum voluntatis suæ nutum ac imperium certi in corpore nostro sequantur motus, quos voluntarios vocamus.

3.) Deus immediata sua vi specificas hominis actiones, sive Corporis sive Animæ sint, non producit, neque ergo ad certas Animæ volitiones immediata operatione específicos in Corpore motus, neque ad certos Corporis organici motus ac mutationes específicas in hominis Mente perceptiones ac volitiones producit.

4.) Licet Anima etiam ex se certas cogitationes producere possit, quæ sequuntur ex antecedentibus, dantur tamen aliæ etiam Mentis perceptiones,

nes, quæ immediate a Corpore pendent, & non nisi ex vi illa repræsentativa oriuntur, qua Mens omnes Corporis mutationes variumque ejus statum percipit. Et quamvis tales in Corpore reperiantur motus, qui continuata serie & successione continuata fiunt, & ex ipsa Corporis structura atque natura fluunt, & ad vitæ animalis conservationem pertinent; dantur tamen alii etiam qui ex hisce explicari minime possunt, sed immediate a voluntariis operationibus Mentis rationalis pendent.

5.) Deus Ens intellectu infinite summo & voluntate infinite potente præditum, gaudet vi repræsentativa non sui ipsius tantum, sed & totius Universi omniumque ejus mutationum, & tali voluntatis efficacia, ut solo ejus imperio atque vi varios in mundo motus ac mutationes efficere & in distans etiam in corpora operari queat.

6.) Finis creationis mundi requisivit, ut summus rerum omnium Conditor atque Opifex etiam aliquid sibi simile sui que analogum extra se produceret, quo a creaturis agnosceretur, idque vel mundum hunc aspectabilem, vel semetipsas & propriam suam naturam, inspiciendo.

7.) Condidit propterea, præter alios rationales spiritus, Mentem etiam Corpore organico unitam; quæ in his etiam similitudinem quandam Dei refert, quod prædita est tali intelligendi facultate, qua Deum Conditorem suum agnoscere potest & quidem etiam ex mundi aspectabilis contemplatione mediante Corpore organico; unde sapientissimus Creator Menti isti vim repræsentativam Corporis

poris sui organici, omniumque quæ in eo contingunt mutationum concreavit: Concessit præterea Animæ etiam talem in Corpus organicum operandi vim, ut ad solum voluntatis jussum certi in Corpore sequantur motus, qui adeo nonnisi ex voluntatis efficacia oriuntur atque ab ea sola pendent; in quo operandi modo Mens nostra analogum quid cum divino operandi modo habet, indeque aliquam ejus ideam nancisci potest.

8.) Cum Mens nostra gaudeat vi repræsentativa Corporis sui organici, omniumque, quæ in eo eveniunt, mutationum, variæque inde pendeant in Mente perceptiones inde nascentes volitiones, hinc Corpus in Animam agere dicitur; cum contra Mens etiam vi operandi in Corpus prædita sit, ut solo Voluntatis imperio motus certos variasque mutationes efficere queat: hinc Mens in Corpus operari dicitur. In quo commercio arctissima utriusque unio consistit.

9.) Vim autem illam, qua Mens nostra solo voluntatis imperio certos in Corpore motus ac mutationes producere illudque regere potest, inde habet; *quod Deus Legem hanc universalem in natura constituit ac Decreto generali Corporibus organicis hanc sese movendi sancivit regulam, ut ad Mentis voluntatem ita se moverent, ut motus ei sint conformes; speciales vero motuum determinationes, sive actiones específicas, liberæ Mentis voluntati permisit.*

§. XXV.

Consequitur ex hisce, Hypothesin hanc difficultatibus illis non premi, quibus reliqua premuntur Systemata.

Primo

Primo enim nec Corpus in Animam, nec Anima in Corpus per attactum, aut interpositionem Corporum mediorum, agit; sed unumquodque convenienter naturæ suæ operatur; Corpus aliter in Mentem nostram agere non potest, quam quatenus Mens vi repræsentativa Corporis sui omniumque ejus mutationum prædita est; & vicissim Anima in Corpus nonnisi volendo, adeoque naturæ Entis spiritualis conformiter, agit; sola voluntatis efficacia ad Dei similitudinem in Corpora agit; hic nimirum non de ipsis actionibus, sed nonnisi de operandi modo loquor.

Secundo. Proportio virium talis non est, qualis inter meras res materiales quæritur; sed illa respectu Entium spiritualium aliter se habet, & naturæ ipsis a Creatore inditæ conformis est.

Tertio. Nulla etiam respectu Commercii inter Corpus & Animam miracula fiunt, sed omnia juxta leges illas generales primitus a Deo constitutas & concursu tantum universali, non autem immediata Dei operatione ad singulas actionum determinationes, fiunt: *Quia Deus generalem aliquam inter Mentem & Corpus ejus organicum sancivit legem, specialem vero legis Universalis illius applicationem libero voluntatis creatæ arbitrio permittit.*

Quarto. Licet in Corpore dentur motus pure mechanici, qui continuata serie ex antecedentibus sequuntur & a libero voluntatis imperio non pendent, juxta tamen Hypothesin hanc tales etiam dantur, qui non ex mero mechanismo explicantur, sed a voluntatis nutu ac imperio pendent & voluntarii sunt.

Quinto.

Quinto. Quoniam nec Corpus ex legibus putæ mechanicis agit, sed in nonnullis actionibus a voluntatis effiçacia pendet; & contra etiam Mens non merum automatum est, cujus singulæ actiones immediate ex antecedentibus oriuntur, sed per vim illam repræsentativam Corporis sui ejusque mutationum etiam plurimæ perceptiones ab extra Menti per vim repræsentativam ejus communicantur, sequitur: Actiones non necessarias, sed liberas esse, iisque moralitatem suam constare.

Sexto. Quia Deus nonnisi leges generales commercii inter Corpus & Animam constituit, ad específicas autem actionum determinationes, regulæque universalis applicationem ad actiones speciales non concurrat; sequitur; illum nec actionis specificæ Autorem esse, sed eam a sola Mentis nostræ libertate pendere, Deumque adeo nec peccati Autorem esse, quia id ex determinatione Mentis ad actionem specificam oritur.

§. XXVI.

Ex hisce omnibus autem, quæ hucusque disputavimus, nihil aliud effici, neque alia inferri potest conclusio, quam veram operationum Mentis nostræ rationem, adeoque & Commercium illud, quod inter Animam Corpusque nostrum intercedit, explicari minime posse, nisi simul compertum nobis sit: 1.) Qua ratione Deus sola ac mera sua Voluntate in Corpora operari & solo Voluntatis nutu quoscunque vult effectus in mundo producere possit? 2.) Quomodo Entibus creatis facultatem intelligendi, sive vim res a se differentes distincte sibi repræsentandi & sola volunta-

tis efficacia ac nutu operandi concreare, hocque modo quandam sui similitudinem ipsis largiri potuerit?

Hæc si quis explicaverit, nullo deinceps negotio veram Commercii Mentis & Corporis nostri rationem exponere poterit.

Deum infinita ac perfectissima intelligendi vi præditum esse, de hoc nemo est qui dubitet.

Neque de hoc quisquam dubitabit: Deum absque contactu, mera ac immediata Voluntatis suæ efficacia omnia quæcunque vult operari, sive spiritualia sint sive corporalia.

Et quis dubium movere poterit, Deum Entia rationalia extra se produxisse, eaque intelligendi facultate instruxisse.

Neque ulla etiam adest dubitandi causa quin Deus Entibus istis rationalibus Voluntatis liberæ ac efficacis etiam facultatem largitus sit.

Quæritur autem, an Creator munificentissimus, creaturas quasdam ad sui similitudinem efformans, non eadem potentia sua creatrice ipsis vim illam Voluntatis efficaciter operantis & solo nutu effectus quosdam in Corpore organico producentis communicare potuerit, qua facultatem distincte intelligendi ipsis concessit?

T A N T U M.

HUGO-